Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26202
Copyright: Admont, Benediktinerstift

in tribulatione dilatasti mihi. Potest autem tota hec correptio sapientie de uniuersis generaliter reprobis accipi. qui in die iudicii clament ad iudicem districtum. aperiri sibi ianuam regni postulantes. nec merentur exaudiri. Nam et hoc quod sequitur. Mane consurgent et non inuenient me. Ipsum tempus extremi examinis quo alii in uitam eternam. alii in obprobrium resurgunt sempiternum apte designat. Eo quod exosam habuerint disciplinam. et timorem domini non susceperint. Merito salute priuantur: quia principium sapientie timorem domini et disciplinam non modo non habent. sed et odiis insecuntur. At salutis filius iniquos inquit odio habui. et legem tuam dilexi. Comedent igitur fructus uie sue. Viam illorum dicunt de qua superius dixerat. pedes enim illorum ad malum currunt; quia in quod uias meas ingredi noluerunt: ut uiuerent. recipient mercedem uiarum suarum ut in eternum pereant. At contra de his qui timent dominum. qui ambulant in uiis eius. dicitur; Labores fructuum tuorum quia manducabis beatus es et bene tibi erit. Suisque consiliis saturabuntur. Qui meo consilio quo consilio illos saluare decreueram adquiescere renuebant. saturabuntur suis quibus aiebant. Abscondamus tendiculas contra insontem frustra. quibus per saluatorem latronem eligebant. ut uidelicet uastentur a latronibus. et inter latrones dampnentur. quod etiam de omnibus ubi dei contemptoribus sic et cetera potest accipi. Auersio paruulorum interficiet eos. Paruulos non etate. sed sensu dicit. quibus supra dictum est. Vsquequo paruuli diligitis infantiam. qui non paruuli sed perfecti sensibus esse potuissent. si non a consilio sapientie auditum auerterent. quo autem auerterant. sese eterne morti destinabant.